

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

esset. Quod si nostræ cōfessionī adjungere se præsentēs nolent, nec alii haberi subito poterunt, connivendum aliquantisper erit, modò publicè scandala nulla excitentur & Theologica præcipue ac liberalium artium studia constituenda erunt. Sed de tota constitutione Academiæ ex tuis literis, quas promittis, haud dubie cognoscam. Deum oro, ut *σοφὴν ἀγαθὸν καὶ ἀφορμὰς διδουσίαν* Vobis in hac deliberatione tribuat & nos omnes doceat ac gubernet. Ut in Basiliensi Academia Doctoris gradum accipias, Collegæ mei non solum non ægre ferunt, verùm etiam tibi ac tuis studiis & honoribus gratulantur. Quod corpus legum Scholæ Græcensiste missurum polliceris, valde mihi gratum est. Veram nec procemium nec reliquam Scholæ constitutionem, sed nudas leges seu statuta, uno tantum capite, tertio aut quarto exposita desidero, ne frustra labor in pluribus describendis ponatur. Tuam etiam Carinthicam Reformationem adjungi cupio. De Sebaldò Heulnero etiam doceri velim, an superstes sit, vel ex hac vita decesserit. Perturbat enim me, quod felices memoriæ appendicem nomini ejus adjungis, D. Simon & M. Posselius vicissim tibi salutem amanter optant. Hæc ex lecto, cui podagricis doloribus jam dies 14. affixus sum, dictavi, cum Eliam Protum isthuc cum discipulis iter habere intelligerem.

Reverendo & Clariss. Patri salutem reverenter opto. Benè vale, 20. Junii, Anno 79.

David Chytræus.

CCLIIIX.

Ex Hodoeporico D. Georgii Celestini,

Anno 78. Extractum.

VAgatus est superiori anno per omnes ferè Germaniæ aulas, civitates & provincias Lutheranas impudenter mendicans, oblato passim principibus & urbium magistratibus Libro, velut à se compositò, Impostor quidam & Nebulo vanissimus, qui se Georgium Cœlestinum, ecclesiæ Colonienſis in Marchia præpositum nominavit, quem qui propius norunt, breviter definiunt, Scelestinum, Animal ex fatuitatibus, scurrilitatibus, impudentia, avaricia, imposturis & Schelmitudinibus, conflatum.

In eo itinere mirabiles fumos passim vendidit, & mendacia impudentissima sparsit, & fraudes prorsus sceleratas exercuit.

In Boëmia, nomine Electoris Brandenburgici commendationes ad Florianum à Grysbeck, Wilhelmum à Rosenberg in Cromelow; in Austria ad proceres

Ffff

Austria-

Austriacos & Stiriacos scribere, & à literis Electoris Brandenburgici, quas Berolini in sui commendationem ad alios scriptas acceperat, Sigillum Electoris avellere, & novis suis literis agglutinare instituit.

In Austria, ex titulo illius sui libri, quem proceribus exhibiturus erat, vocabulum (Imp.) abradi in aliquot exemplaribus curavit. Unde falsò eum Imperatoris Privilegium, quod nullum habeat, libro suo appressisse apparet.

Lincæ in superiore Austria & alibi jactavit, se Augusti & Brandenburgici Electoris legatum esse, ut Concordiæ negotium Provinciis illis persuaderet, quod impudenter confictum esse constat.

In Stiria delectis provincialium Formam Scholæ, non à se, (qui nec Grammaticen rectè unquam didicit, nec Dialecticam aut Rhetoricam in ulla Schola se integram audivisse ipse ante paucos annos fassus est) sed à M. Michaele Chiliano, Spalatini genero, compositam, velut suam exhibuit, narrans, quanto labore & diligentia eam, in usum scholæ Stiriacæ adornasset.

Heidelbergæ optimo Electori Palatino operam suam in reformandis ipsius ecclesiis & Academia Heidelbergensi, præsertim eo tempore, quo D. Chytræus ibi adfuturus esset, prolixè detulit.

Argentinae verò, paucis diebus post & passim alibi, virulentissimè Chytræo, quem Collegam habere Heidelbergæ volebat, maledixit.

Cum à Senatu Argentinensi manus pro libro illo passim oblato accepisset, quod avaritiæ illius expectationi non respondebat, remisit illud Senatui, & cum plus pecuniæ expectaret, librum suum recepit.

Catalogos etiam scriptorum suorum, quæ ad utilitatem ecclesiæ editurus esset, Ministerio & D. Sturmio Argentinæ exhibuisse dicitur; cum omnes, quibus familiariter notus est, sciant, eum vix unam periodum latinè componere absque vitiis posse.

Francofurtiæ ad Mœnum exemp̃a aliquot Bibliorum Lutheri ante aliquot annos ibi in quarto ad Prototypon anni 45. excusorum coëmit. Titulum abiecit & novum excudi curavit, in quo annum 79. mentitus, nomen suum ad hunc modum apposuit. Georgius Cælestinus D. S. S. C. Interrogatus ab amico de mysterio literarum S. S. C. Sacræ Scripturæ Custodem esse interpretatus est: Altera pagina effigiem Electoris Brandenburgici apposuit, eique subscripsit: Dominus benedicat tibi. Georgius Celestinus D. B. C. quod est Bibliorum Custos. Tales Impostor ille fumos vendit principibus viris, totique ecclesiæ, tantum ut emungat argentum.

Electori Saxonie antea, & aliis etiam in suo itinere persuadere conatus est, BIBLIA Lutheri Germanica, post mortem Lutheri Wittebergæ falsata esse; & talem negotiis excitavit, ut editio Bibliorum Wittebergæ aliquandiu inhibita sit.

Privilegium etiam ab Electoribus Saxonix & Brandenburgensi impudenter flagitavit, ne alia Biblia in eorum ditionibus vendi liceret, quàm ea, quæ ipse excudi curasset.

Denique præclarum Thersitem ubique agit, maledicendo viris doctis & de ecclesia benemeritis.

Philippi Melanthonis, de toto genere humano optimè meriti, Theologiam scurriliter nominat *ein velleppische Theology*.

Ejusdem Philippi, & Victorini & Chytræi scripta Platoniam Theologiam appellat, in quibus nihil rerum spiritualium sit, sed tantum philosophici quidam flosculi & sententiæ Ethnicorum & Poetarum inculcentur.

Historiam Confessionis Augustanæ à Chytræo editam, ubique jactitat, à se compositam, & à Chytræo velut plagario sibi ablatam esse; cùm Chytræus exemplar Latinum & Germanicum suo nomine editum, à se quoque primum coagmentatum, & Cælestino ac aliis communicatum esse adfirmet, & in fine Editionis Germanicæ, ne quis de fide Actorum dubitet, unde Acta singula deprompta sint, singulariter demonstret. Hanc litem ipsi inter se dirimere possunt, Ego me judicem non facio. Hoc tamen scio, Cælestinum in toto libro suo, paginam nullam integram ipsum suo Marte vitii Grammaticis vacantem composuisse, aut componere potuisse. Sed ut mendici pallium ex diversi & varii generis lodicibus & pannis confutum & confarcinatum est: ita Cælestini nomine supposito excusam molem multiformium & dissimilimorum membrorum, non ablimilem Humano Capiti cervicem pictor equi nam; Jungere si velit, & varias inducere plumas &c. & turpissimis versionum Grammaticis etiam erratis scatentem, à diversis scriptoribus, partim blandicia & illecebris, partim pecunia & mercede Cælestini conductis coacervatam esse; à quibus brevem illam & nervosam à Chytræo acceptam delineationem, inepte amplificari, & additis impertinentibus vel ineptis narrationibus & scriptis, quæ sempiterno silentio obrui rectius fuisset, augeri curavit, ut imperitis fucum faceret, si grandior moles libri evaderet.

Quo, ut Agyrta circumforaneus, reliquias Sanctorum, vel simiam aut leonem larvatum circumducens apud omnes Augustanæ Confessionis principes & civitates impudenter mendicans, stipem colligit, ac quæstum hunc multò uberrimum sentiens, peragrata superiori Germania, nunc Saxonicas etiam urbes, & Inelytum Daniæ Regnum adire cum libro illo putido, quem tamen publice in nundinis publicare non audet, instituit. Quo non secus, ac leprosi ligneo illo stabello aliquid sibi dari flagitantes, non pauperum tabernis, sed potentum curiis passim obstreperit.

Sed præstigiatoris hujus impudentiam & dolos paulò post divinitus patefactura & repressum iri, non dubito. Nunc viros prudentes in civitatibus & aulis sibi ab hoc impostore cavere optandum esset. Wittebergæ, Calendis Maji, Anno 1579.